

A

* Pythonissæ.

PYTHONICI.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

PYthones, Pythonici, Pythonissæ sunt, qui possidentur à maligno spiritu quem Pythonem vocant, inter Diuinatores ac Sortilegos non minimi habentur, vnde quod in *Actis Apostol.* c. 16. *vers.* 16. legimus, Apostolos obuiam habuisse puellam quandam habentem spiritum Pythonem, Syrus vertit, habentem spiritum diuinationis, vnde patet, à Spiritu illo obsessam fuisse, vt bene notat Hugo.

Volunt autem Pythonis appellationem deductam ab Apolline Gentilium, qui quod summus esset diuinandi artifex, Pythius cognominatus est, siue à Dracone Pythone, quem in Delo Insula confodit; aut ab homine sceletatissimo Pytho cognome, quem etiam trucidauit. Alij à loco ita dictum volunt in quo Draconem occidit: quia exstat quoque nomen Pytho pro vrbe Phocidis, quæ & Delphis, sacra Apollini ita dicta

B vt vult Eustathius, & propter confossum ibidem Draconem. Quidam tamen malunt etymologiam trahere à πύθω, ἴσθω, ἴ, à consulendo & diuinando, ac interrogando, quia dabat responsa & oracula. vnde vocantur aliis hoc nomine à sciscitando πύθω ἴσθω, & ἴσθω ἴσθω, à quodam Eurycle sic obfesso iuxta Suidam & Aristophanem, vel ab ipso dæmone obsidente quem Eurycle vocat Plutarchus.

Dicuntur etiam hi Pythonici ventriloqui, & ἐγγύσι μύθοι & ἐγγύσι μύθους, eò quod vox ex imo ventre prodire videatur, vt *Origenes Lib. 7. cont. Celsum, & Occumen. in c. 16. Act.* tradunt. Item ἐγγύσι μύθους, eò quod aliquando sub pectore infra cutem se dæmon ostentet, & per pectus loqui videatur. Etiam *Tertull. l. 4. cont. Marcionem c. 25.* ventriloquos hos agnoscit, & *August. l. 2. de doctrina Christiana c. 23.* vocat puellam de qua *Lucas in Actis*, ancillam ventriloquam. Tumbat videlicet istis, fœminis præsertim, vtris in morem ventris, idcirco forsan Hebraicè אֵיבֹה, & in plurali אֵיבוֹה, forma fœminina dicantur, quoniam hæ voces significant virem, & tres, quasi qui faruo, fatidicòve illo spiritu afflarentur ex ventre, vt ex vtre, aut lagena oracula depromerent. Fieri enim potest, vt clauso ore ederent responsa, sicque loqui censerentur ex ventre.

C *Galenus apud Hippocratem exposi. vocab. Hippocr. vult. ἐγγύσι μύθους* appellari, qui clauso ore loquuntur, quod ventre loqui videntur.

Mihi eò respexisse videtur *Isaias c. 29. v. 4.* cum dixit: Erit quasi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muffitabit. Quauis non ignoret aliis placere, vt intelligatur de voce exili, qualem edunt euocata vmbra veluti de cryptis.

Cæterum apud Gentiles, si qua mulier diuinandi artem acciperet, in tripode sedens Apollinis, diuinitatis eruribus, per genitalia spiritum admittebat impurum, qui ventrem obfideret, eamque tanto furore completeret, vt soluto crine, ore spumans, ac debacchans, verba profertet insana. & sic demum de rebus occultis responderet. Vnde *Seneca in Oedippo. Act. 2.*

Incipit lethæa spargere horrentes comas,

Et pati commota Phœbum, contigit nondum specum,

Emicat vasto fragore maior humano sonus.

Huc etiam pertinent illi quibus Dæmon ex arca respondet, cuius rei duo exempla infra adducentur.

D Hoc in præsentè adiciam rectè monere Abulensem *comment. in lib. 1. Reg. c. 28. & alibi*, generali appellatione Pythonum seu Pythonicorum omnes diuinos comprehendendi. Colligitur id namque ex *Deut. c. 18. vers. 11. ex Leuit. c. 20. 27. ex libris Reg. lib. 4. 2. 1. 6. ex Isaias c. 23. 24. c. 8. 19. c. 19. 3. cap. 29. 4.* atque ex communi loquendi modo Auctorum, inter quos *S. Ambrosius in 1. Corinth. cap. 3.*

ita vsurpans ait, Pythonem per Sibyllam loquutum esse.

QVALES. Vbi varia Exempla referuntur Pythonicorum in specie, ac primum.

EX S. SCRIPTURA.

Memorat *Lib. 1. Reg. c. 28.* Saulem abstulisse magos & ariolos, & interfecisse eos qui Pythones habebant in ventre, at cum postmodum consuleret frustra Dominum, qui ei non respondebat neque per sacerdotes, neque per Prophetas, curauit sibi quæri mulierem habentem Pythonem, quam sciscitaretur super variis quæ ventura erant. Itaque mutato habitu eam accessit, & Samuëlem fuscitari iussit, quem illa in specie viri senis & amicti pallio euocauit: qualis autem illa Samuëlis apparitio fuerit, alio loco dicitur, vbi de Apparitionibus agitur.

Actor. c. 16. narrat quomodo Paulo & Timotheo Philippis in Macedonia euangelizantibus, obuia processerit puella habens spiritum Pythonem, quam supra ventriloquæ Aug. appellat, quæ magnū quæstum percipiebat Dominis suis diuinando, quæque Paulum secuta clamabat [coactus enim malignus spiritus existimatur à Spiritu S. vt veritatem enuntiaret.] Illi homines serui Dei excelli sunt, qui annuntiant vobis viam salutis, &c. **F**

HISTORICA.

Pansanus in Arcadicis scribit de fœminis quibusdam quæ Dodonides columbæ dicebantur, per quas dæmon pleraque euomebat oracula.

Fuerunt & aliæ dictæ antistites Gallici Numinis, in Sena Britannici maris Insula, quæ magici carminis vi tempestates ciebant, seque in varia animalia transformare videbantur, & futura multa prædicebant: meminit priorum etiam *Natalis Comes l. 6. Mytholog. c. 12.* quas dicit fuisse in Dodone duas numero, quarum vna Peristera, altera Triron vocabatur: cumque Peristera apud Græcos significet columbam, locus inquit fabulæ datus est, quod duæ columbæ responsa redderent. Posteriorum verò Gallicenarum meminit *Pomponius Mela lib. 1. & Cælius Rod. lib. 13. Antiq. c. 33. post medium.*

Fuere etiam Pythiæ Delphis, vt patet ex descriptione oraculi *ibid. apud Herodotum, Xenophontem, Strabonem.*

Et *Iamblicus lib. de myst. Egypt.* refert oraculum fuisse admodum insignis, & concursu hominum frequentatum, ex quo Fatidica Branchidarum responsa ferebat, & futura prænnuntiabat. **G**

GREGORIUS Turonensis *lib. 5. hist. Franc. n. 14.* mentionem facit Pythonissæ quæ Meroneum delusit.

Operæ pretium puto adscribere quod duo recentiores scriptores Germani de hac te commemorarunt: fuisse in Misnia rusticum quandam: hunc domum retulisse pecuniam vesicæ suis inelusam, & scæmno imposuisse: cumque aliud abiisset, sus domestica, vt vorax & multiuorum est animal, in vesicam incidit, & vt vidit deuorauit. Rusticus rediens, quam non inueniebat, ab vxore deposcit: negat mulier vidisse se quid agat? Adit stolidus vetulam propè degentem, quam pro veratrice habebant: iubet muliercula virum in limine domus resistere, nec à linea quam cæta notarat latum abire culmum: mox ingressa cubiculum, dæmonem sciscitatur de fusc, his verbis arcam introspiciens: Quidam N. pecuniam suam domum reuersus tali amisit die: quem ais furatum? respondit veterator ex arca (no uo suo tripode) sus comedit domestica. Tu autem dicit, coniugem eius, vt cum sacerdote amasio eam abligutiret, clam sustulisse, respondit rustico, quod à dæmone iussa, tacet de sue. **H** Sed rusticus cuncta sciebat, nam nihil veritus anile interdictum pederentim ac leniter illam fuerat subssecutus, & ante ostium cubiculi subliterat, vt quid malefica moliretur, accuratè per rimam obseruaret. Reuersus domum vxori & amicis cuncta narrat; ex eorum consilio suam macat, crumena potitur. Desert triuenciam, vt calumniatricem, & dæmonis patriariam. Magistratus portentum flammis expiauit.

Finis Litteræ. P.

